

genere oriundum, dominum et rectorem eorum fecerunt et¹ constituerunt, ut Italie terras unicuique prout competit dare et inter eos dividere et iura sua cuilibet illesa conservare ac Italiam posse² universam manu tenere et ab omni persona egregie defendere. Erant enim Gallorum viri, qui ad Italiam accesserant, feroces indomiti, qui sub aliquo minime detinebantur imperio. Et dum hec agerentur, Brennus Francorum

*f. 26^b. rex omni gente sua coadunata *Gallorum fines transire properabat, ad Italie partes accedere cupientes. Quo audito, Bruniscendus³ cum universa Gallorum gente ad montium fines contra Brennum equitare festinavit, transitum quoque regi Francorum in Italia facere prohibentes, timentes, ne ipsam a manibus eorum eripere; qui cum transire propter virorum Gallorum nequitiam minime posset, gemens et dolens, ira repletus ad propria rediit⁴. Quibus ita peractis, viri Gallorum huiusmodi audientes dictum per prophetam prolatus⁵: 'Nascetur rex, qui subiugabit universum orbem', intelligentes de Brenno Francorum rege, ne ipsos subiugare deberet, valde timuerunt. Timebant plurimum ipsius regis adventum, firmiter sperantes et indubitanter⁶ credentes, si ad Italie partes accederet, quod gravissime eos oprimeret et de Italie finibus eos penitus expelleret; quod dictum eos timere minime oportebat, cum per prophetam intelligeretur de celesti rege domino nostro Iesu Christo, qui erat venturus et universum orbem subiugaturus. Collectis igitur viris prudentibus et sapientibus inter Ticinum et Teothonicorum fines, de quorum fuit consilio, ut septem viri providi et discreti eligerentur, qui per septem dies vigiliis, ieiuniis et orationibus ante deorum presentiam starent, ab eis responsa implorantes, qualiter ab ipsius regis adventu evadere possent et Italiam ab eo defendere. Quo facto responsum a diis in hunc scilicet modum receperunt,

*f. 26^c. videlicet ut per illas diligenter *inquirerent partes, et ubicumque suam⁷ medie lanuginis invenirent, suam ibidem constr